

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1074

Auteur(s) : Henri II, Bayeux (évêque)

Bénéficiaire(s) : Bayeux (chapitre cathédral)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : ...1205...

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Henri II, évêque de Bayeux, confirme la donation d'une terre et de maisons sises à Bayeux, faite par son chancelier Roger Bovet (ou Le Bœuf), chanoine de Cartigny, en perpétuelle aumône, à l'église de Bayeux : il en gardera l'usufruit, et ses successeurs les tiendront à ferme.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° CCLXXXIII, t. 1, p. 330-331.

Dissertation critique

Datation proposée par V. Bourrienne.

Texte établi d'après a

Henricus, Dei gratia Baiocensis episcopus, universis Christi fidelibus, ad quos praesentes litterae pervenerint, aeternam in Domino salutem. Pastoralis nos admonet consideratio, ut ea, quae ad ecclesiae nostrae profectum aguntur, pontificali, qua fungimur auctoritate, confirmare curemus. Hinc est quod dilectioni vestrae significamus Rogerum Bovet, cancellarium nostrum, salubri ductum consilio, terram quamdam, Baiocis per industriam suam acquisitam, et domos suas, in ea laboribus et sumptibus suis constructas, majori ecclesiae beatae Virginis Mariae et capitulo Baiocensi contulisse in perpetuam elemosinam, nomine pensionario possidenda: ita sane quod idem Rogerus, quoad vixerit, usufructum (sic) ipsarum domorum integre et plenarie habeat, reddendo exinde, annuatim, eidem capitulo triginta solidos Cenomanenses, videlicet, unam medietatem in festo sancti Michaelis, et alteram ad Pascha subsequens. Cum vero, Domino disponente, memoratus Rogerus viam universae carnis fuerit transgressus, successores ejus, praebendam de Quarteigneio habentes, memoratas domos tenebunt ad firmam de capitulo sub annua praestatione quadraginta solidorum Cenomanensium, in perpetuum die anniversarii ipsius Rogeri solvendorum, ita quidem quod eadem pecunia clericis, qui divinis obsequiis intererunt, quae pro ipso Rogero in memorata ecclesia Regi Altissimo offerentur, secundum morem ecclesiae impertiatur. Verum, quoniam praebenda de Quarteigneio, per sollicitudinem nostram, maximam (sic) sortita est incrementum, saepefatus Rogerus benigno animo concessit et voluit ut duo sextarii frumenti et duo sextarii ordeï, ad mensuram Quarteigneï, annuatim pro nobis, die anniversarii nostri, Baiocis in usus pauperum in perpetuum expendantur. Et quia fide percepimus oculata eundem Rogerum, super possessionibus et proventibus praebendae suae ampliandis, operam impendisse sollicitam, dignum censuimus aliquod laboris sui solatium eidemtribuendum. Decevimus siquidem et concessimus ut, de incrementis praebendae de Quarteigneio, unus sextarius frumenti, et unum (sic) sextarius ordeï illius mensurae, pro

animæ ipsius Rogeri remedio, pauperibus Christi Baiocis in perpetuum die anniversarii sui conferantur. Ut autem hæc rata et firma in posterum existant, ea præsentis scripto, et sigilli nostri appositione, communire curavimus. Valete in Domino.